

# **Samuelis Battierii, [...] praelectio de iis, ad quae potissimum attendi debeat, ut quis in Antiquis Graecorum scriptis non solum loca corrupta deprehendere, sed & eadem, si ullo modo id fieri possit, [...]**

Autor(en): **Battier, Samuel**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 13

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394638>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



SAMUELIS BATTIERII,

*Phil. & Medic. Doct.*

(\*) PRÆLECTIO

DE IIS, AD QUÆ POTISSIMUM  
ATTENDI DEBEAT,

ut quis in Antiquis Græcorum Scriptis non  
solum loca corrupta deprehendere, sed &  
eadem, si ullo modo id fieri possit,  
emendare valeat,

D. 7. Decembr. A. 1705.

pro Specimine Professionis Linguæ Græcæ habita.

*Magnifice Domine Rector, &c.*

**M**agnam utilitatem ad omnem Eruditio-  
nem ex veterum Græcorum Scriptis ca-  
pi posse, neminem nisi elegantioris do-  
ctrinæ omnino rudem qui dubitet esse  
existimo. Cumque adeo ista Veterum Scripta na-  
tivo

---

(\*) Etiam hanc Prælectionem Battierianam debemus Hu-  
manitati Præstantissimi Viri - Juvenis WERNHARD HER-  
ZOG, Basileensis, qui etiam notulas quasdam suas adspersit.

tivo suo nitore atque integritate prædita omnino ad nostra tempora non pervenerint, quemadmodum plures eruditione præstantes Viri sæpius conqueſti ſunt, ut non ſolum infinitos fere imperiti vel negligentis, nec ſatis ſeduli Librarii in deſcribendis iis errores commiſerint, ſed & a ſciolis & audacioribus Grammaticis plurima in iis, cum ipſi mederi imperite vellent, corrupta fuerint: rem omnino *πρόσπουρον* magnæque utilitatis facere exiſtimandi ſunt ii, qui ut Auctores antiqui Græci priſtinæ elegantix atque integritati, quantum quidem id fieri poteſt, reſtituantur, operam navant. Quandoquidem autem & ego ad hanc rem aliquid ſtudii adhibere non dubitavi, atque propterea non ſemel publice oſtendi, quomodo varia loca in Auctoribus aliquot Græcis cum corrupta emendari, tum integra, ab aliis vero pro corruptis habita, rite explicari debeant, hac Lectione conſtitui paucis exponere *ad quæ potiſſimum attendi debere mihi videatur, ut quis in antiquis Græcorum Scriptis non ſolum loca corrupta deprehendere, ſed & eadem, ſi ullo modo id fieri poſſit, emendare valeat*: quod dum breviter facio, vos Auditores omnium Ordinum Honoratiſſimi! ut benevole & patienter me audire velitis, vehementer rogo.

Quando exponere aggredior ea quæ neceſſario conſideranda videntur, ut quis cum loca corrupta in Scriptis Græcorum deprehendere, tum quoad ejus fieri poteſt, iis medelam adhibere rite valeat, primum ſine ulla dubitatione & palmarium eſt illud, ut quis operam det, quo univerſalem Græcæ Lingux habeat cognitionem: ſine hac proſecto fruſtra omnis reliqua adhibetur conſideratio; quamvis

quamvis enim unum & alterum Auctorem intelligere quis valeat, ne Crisim tamen aggredi sustineat, cassus & inanis omnis erit conatus. Illa vero cognitio unice perficitur frequenti & attenta lectione omnis generis Auctorum, non solum eorum qui prosa, sed & qui ligata oratione scripserunt. Et inter eos qui pedestri oratione utuntur, aliter loquuntur Philosophi, aliter Historici, aliter Oratores: Et inter ipsos Poetas non mediocris reperitur diversitas. Hinc etiam sequitur ad nostrum institutum obtinendum requiri ut quis complectatur Græcorum Dialectos omnes; alius enim Attice erat locutus, alius Jonice: alius Doricam adhibuit Dialectum, alius Aeolicam: alii vero Dialectos varias miscuerunt. Hoc modo insigni Linguæ Græcæ cognitione instructus, probeque in variorum Auctorum lectione exercitatus, quamplurimos statim, si qui adsint, detegere valet errores; quando enim ita ad sensum Auctoris, quem habere possit, diligenter attendamus, semperque meminerimus antecedentia & consequentia, habita ratione circumstantiarum omnium, temporis atque personarum, statim, si error atque mendum aliquod adsuerit, nos aliquid offendet, sique locum probe perpenderit, in quibus vocibus hæreat morbus deprehendemus. Verum fieri non potest, ut sensum & mentem Auctorum assequi valeamus, atque proin omne illud mancum est adhuc & imperfectum, nisi simul insigni rerum multarum, Philosophiæ imprimis, cognitione polleamus; hæc itaque pulcherrimarum rerum notitia accedat oportet, si ἀνίπτοις χερίσιν opus illud aggredi, & temeritatem simul nostram ac imperitiam prodere nolumus. Multa

exempla afferri possent eorum, qui loca Aucto-  
rum varia, sana utique existentia, existimarunt vi-  
tiata, solum quia rerum imperiti fuerunt, Græ-  
cæ alias Linguæ peritissimi. Unum vel alterum  
exemplum protulisse nobis sufficiet: Apud Dio-  
genem Laërt. l. VIII. Vit. Pythagoræ Segm. 32.  
Ed. Amst. p. 514. inter effata Pythagoræ ponitur:  
Μηδὲ τὸν αὐτὸν ῥόον κρατεῖν, eandem fluxionem non  
obtinere. Hic Kühnius pro ῥόον legere nos jubet  
νόον. Utique si majorem rerum Physicarum co-  
gnitionem Kühnius iunxisset cum Linguæ Græcæ  
peritia, de hujus vocis mutatione non cogitasset.  
Vera enim Physicæ scientia nos docet omnia ferri  
& moveri more fluminis, ut sapienter Heraclitus  
apud Laërt. l. IX. in ejus Vita S. 8. E. A. p. 552.  
Ῥεῖν τὰ ὅλα ποταμοῦ δίκην. & idem Heraclitus te-  
ste Platone in Cratylo: λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι  
πάντα χωρεῖ, καὶ οὐδὲν μένει· καὶ ποταμοῦ ῥοῆ ἀπει-  
κάζων τὰ ὄντα, λέγει ὡς δις εἰς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ  
ἂν ἐμβαίης. Dicit alicubi Heraclitus, quod omnia  
fluant, nihilque quiescat: Et fluminis fluxioni compa-  
rans res existentes, dicit, quod bis in eundem fluvium  
non descenderis. Idem Laërtius de Stoicorum do-  
ctrina circa Vacuum l. VII. Vit. Zenon. S. 140.  
E. A. p. 453. sic scribit: Ἐξῶθεν δὲ αὐτοῦ (sc. κόσ-  
μου) περιεχυμένον εἶναι τὸ κενὸν ἀπειρον· ὅπερ ἀσώ-  
ματον εἶναι. ἀσώματον δὲ τὸ οἰόν τε κατέχεσθαι ὑπὸ  
σωμάτων οὐ κατεχομένου. Hic quidem κατεχόμενον  
legi in quibusdam Codicibus jam diu a nonnemi-  
ne observatum est, & Menagius Codicem Regi-  
um eodem modo legere testatur, & sic etiam le-  
gendum esse recte putat. Kühnius tamen ad ista:  
Descriptio τοῦ ἀσώματος manifeste mendosa est. Lego  
ex conjectura: ἀσώματον δὲ τὸ οἰόν τε κατέχειν, ὑπὸ  
σωμά-

*σωμάτων οὐ κατεχόμενον*, ex Suida, *quod potest continere*, ipsum vero à corporibus non continetur. Sed quid amplius in hoc Laërtii loco corrigendum restet, si *κατεχόμενον* scribatur, non video: & sensus verborum propositorum est iste: *Extra mundum autem circumfusum esse vacuum infinitum, quod incorporeum esse docent: incorporeum autem vel inane, quod occupari quidem a corporibus potest, non tamen occupatur, quo quid clarius fingi potest?*

His itaque, de quibus modo diximus, probe instructus quis, si offenderit aliquid in Auctore, quod ex sensu, quem locus certo postulat, corruptum esse conjiciatur, tum dispiciat quale remedium morbo deprehenso afferri possit. Et quemadmodum qui morbis humanorum corporum prudenter mederi cupiunt Medici, prius de remediis cogitare non solent, quam causas morborum deprehenderit: probe siquidem norunt, quod cognitio causæ morbi ultro medelam illius suggerat. Sic qui corruptiones in Scriptis Antiquorum deprehensas feliciter sanare desiderat, in causas illarum ut inquirat necesse est, his enim detectis Sanationes earum plerumque non solent amplius esse difficiles.

Inter causas vero corruptelarum, quæ in antiquis Græcorum libris deprehenduntur, recensemus primo priscum scribendi morem Græcorum. Antiquis vero temporibus Græci non eo scribendi modo usi fuerunt, qualis apud posteriores erat introductus, atque etiam a nobis adhibetur, ut nimirum singulæ voces separatim ab aliis relicto aliquali spacio notarentur, atque sententiæ distin-

ctionibus interpungerentur ; sed uno & perpetuo ductu sine ulla distinctione & accentibus scribebant. Lectio vero hujusmodi Scripturæ sine dubio librariis multum negotii facefferat , & nisi quis fuerit doctissimus , & in notitia Linguæ Græcæ exercitatissimus , non poterat fieri , quin plurimi errores fuerint commissi in descriptione hujusmodi Codicum. Hæc autem prisca scribendi ratio apud Græcos sola in usu fuit usque ad tempora Aristophanis Byzantii , Grammatici Alexandrini , qui seculo ante Christum secundo , nempe Olympiade CXLV. sub Aegypti Rege Ptolemæo Epiphane potissimum claruit , & primus omnium accentus & distinguendi rationem excogitavit. Quamvis vero Græci ex eo tempore accentibus & interstitiis vocum atque sententiarum in scribendo uti cœperint , tantum tamen abest , ut pristinus ille scribendi modus statim omnino sit abrogatus , ut etiam integris aliquot post Christum seculis nonnulli libri ita scripti sint. Sic Lambecius Bibliothecæ Cæsareæ lib. II. c. VII. p. 519. testatur vetustissimum Codicem Dioscoridis cura & liberalitate Julianæ Aniciæ Imperatoris Flavii Anicii Olybrii Filix ante mille & ducentos annos exaratum in Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi asservari , in quo accentus omnino desint , & si qui in eo reperiantur , recentiori manu sint additi , vocesque sine ulla distinctione sibi invicem cohæreant. Ita & alia in aliis Bibliothecis hac ratione scripta reperiuntur Volumina. Idem in antiquis Inscriptionibus Græcis ut & Latinis factum observari passim solet. Hæc consideratio vero cum Linguæ Græcæ cognitione juncta quot mendis jam medelam attulerit dici vix potest : &  
 pro-

profecto multa adhuc ex hujus causæ observatio-  
ne sanabilia restant. Primo enim fieri non potuit  
quin Librarii, quando hujusmodi Codices anti-  
quo more exaratos describebant, quandoque aut  
duas voces in unam junxerint, aut unam in duas  
alias dissecuerint. Exemplo uno vel altero eorum,  
quæ a me observata sunt, res ista fiet magis cla-  
ra. Apud Euripidem in Tragœdia quæ inscribitur  
Iphigenia in Aulide, v. 378. vulgo legitur:

Βούλομαι σ' εἰπεῖν κακῶς ἔν, βραχέα, μὴ λίαν ἂν ᾧ  
Βλέφαρα πρὸς τὰναιδὲς ἀγαγών. - - -

Hoc ἂν ᾧ duabus vocibus positum orationem  
omnino scædat, sensumque loci impedit: nec  
vero aptum aliquem exin habueris: ut ex Inter-  
prete apparet, cujus Latinam explicationem affer-  
re piget: si vero illas duas voces conjunxeris in  
unam ἄνω, quæ *sursum* significat, oratio Euripidis  
erit elegans, & omnia planissima: Et sensus verbo-  
rum productorum, quæ Agamemnon ad fratrem  
Menelaum loquitur, erit iste: *Volo te increpare at-  
que tibi maledicere, decenter & modice, non nimis  
palpebras ad impudentiam attollens.* Impudentium  
siquidem & arrogantium est supercilia & palpebras  
tollere, qui proin etiam σοβαροβλέφαροι a Græcis  
dicuntur. Apud eundem Euripidem Iphigenia in  
Tauris v. 1429. hæc leguntur:

Λαβόντες αὐτούς, ἢ κατασύφλου πέτρας  
ῥίψωμεν, ἢ σκόλοφι πήξωμεν δέμας;

Error hic est in κατασύφλου, quod unica voce  
scriptum locum istum inquinat: Si scripseris  
duabus vocibus κατὰ σύφλοῦ locus erit integer:  
ejusque sensus: *Prehendentem eos an de præτυπια &*



*aspera rupe præcipitemus, an corpus ipsorum figamus  
palis?* Alia adhuc ex eodem Euripide proferam:  
Is in Hecuba v. 592.

Οἴκουν δεινὸν, εἰ γῆ μὲν κακῆ,  
Τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν, εὐσαχυν φέρει.

Hoc εὐσαχυν ex duabus vocibus εὐ & σάχυν simili-  
liter est corruptum, & separate eas scribere debe-  
mus: & tum loci sensus est iste: *Nihil mirum est,  
si terra mala nocta divinitus opportunam aëris temperi-  
em, bene fructum ferat.* Apud Euripidem rursus  
in Oreste v. 686. Menelaus dicit:

Τὸ δ' αὐτὸ δύνασθαι, πρὸς Θεῶν χρήζω τυχεῖν.

Pro hoc αὐτὸ Canterus in suis Notis ad Euripidem  
αὐ legendum existimat: verum si dissolveris hoc  
αὐτὸ in duas has voces αὐ & τὸ locus tum se rite  
habuerit: & locus iste nec ab ipso Scholiaste rite  
erat intellectus: is existimabat simpliciter hic Me-  
nelaum dicere: *Volo ut a Diis saltem juvandi te pote-  
statem obtineam.* Emphasin vero atque vim, quæ  
hoc sermone exprimitur, neutiquam percepit  
Scholiastes: & quidem illa consistit in repetitio-  
ne hujus τὸ, & interjecta particula αὐ:

Τὸ δ' αὐ τὸ δύνασθαι - - -

Et insuper πρὸς Θεῶν neutiquam hic est a Diis,  
ut falso existimat Scholiastes, sed per Deos, quæ  
jurandi formula erat frequens apud Græcos; dice-  
bat vero ista Menelaus magna cum animi commo-  
tione, quæ Latinis vocibus exprimi neutiquam  
potest: postquam enim in proxime præcedenti-  
bus Menelaus ostendisset Oresti ipsius auxilium fla-  
gitanti, se libentissimo animo illud ipsi præstare  
paratum

paratum esse, addit magna cum vehementia: *Posse, posse inquam, per Deos ad scopum pervenire, ego vero tantum velim.* In Hippocratis libro *περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τραυμάτων* Seg. XVII. n. 2. hæc habentur: Ἐλκος ἐν τῇ κεφαλῇ οὐ χρὴ τέγγειν οὐδενὶ, οὐδὲ οἴνω, ἄλλως ἤκιστα. Verba sic posita hunc exprimunt sensum: *Vulnus in capite non oportet humectare ulla re, neque vino, aliter minime.* Sed omnino præter scopum Hippocratis, is enim eodem libro Segm. XX. versus finem, vulnus capitis oleo humectare concedit: Τό τε ἔλκος ὑποτείνας ὀθόνιον ἐλαίῳ τέγξει. Illud itaque ἄλλως in duas voces est separandum, ut sit ἄλλ' ὡς ἤκιστα, & omnia recte se habebunt: dicitque Hippocrates, *quod vulnus capitis non oporteat humectare ulla re, nec vino, nisi quam minimum.* En vero etiam exemplum, ubi una vox in duas per errorem est divisa. Euripides in *Oreste* v. 1457.

Ἄμφι πορφυρέων πέπλων ὑπὸ σκότου  
Ξίφη σπάσαντες

Nisi ἄμφι πορφυρέων una voce conjungas oratio erit inepta: sic enim dicitur: σπάσαντες Ξίφη ὑπὸ σκότου Ἄμφιπορφυρέων πέπλων. *Strictos habentes gladios sub tenebris prætextarum seu purpurearum vestium.* En adhuc aliud, ubi una vox in duas est discerpta, apud eundem Euripidem in *Oreste* v. 202.

Τό, τ' ἐμὸν οἶχεται  
βίου τὸ πλεον μέρος ἐν  
στοναχῆσί τε καὶ γόοις,  
δάκρυσί τ' ἐννυχίοις, ἄγαμος,  
Ἐπεὶ δ' ἄτεκνος, ἄτε εἶστον  
Ἄ μέλεος εἰς τὸν αἰὲν ἔλκω χρόνον.

Hæc αἰ μέλεος, ego misera, a Scholiaste eodem modo

modo lecta, utique ex una voce sunt orta: legendumque est una voce Ἀμείλιος. Hoc vero ἀμείλιος est indotata, quæ nulla dote ad matrimonium contrahendum instructa est. Τὰ μείλια enim sunt proprie munera quibus aliquem nobis conciliamus: Hinc etiam dos & dona, quæ marito nova nupta affert, ita vocabantur. Hesychius sic explicat: Μείλια, μειλίγματα, χαρίσματα, σπαλάγματα (pro quo ἀσπάσματα ponendum putat Grotius) δῶρα καὶ ἢ προῖξ. Flebiliter itaque hic queritur Electra, quod plurima vitæ pars sibi in suspiriis & gemitibus, nocturnisque lachrymis abeat, quia innupta & tum etiam sine liberis esset, utpote quæ indotata vitam perpetuo trahere debeat. Illud ἐπεὶ vero non est ut putavit Scholiastes quoniam, quandoquidem: sed idem est hic quod εἶτα, postea, adhuc, præterea. Quam hujus ἐπεὶ significationem frustra in Lexicis quæsieris; sæpius tamen ita usurpatum observavi. (a)

Obser-

---

(a) Lubet aliquot hujus rei exempla, quæ Cl. Auctor noster in Observationibus suis MSt. in Euripidem ad hunc locum affert, heic apponere: hoc sensu hæc vox occurrit apud Euripidem ipsam Troad. v. 315.

Ἐπεὶ σὺ μάτερ, - - -

Item apud Sophoclem Oedipo Tyrann. p. 90. b. Edit. Francof. 4.

Χαλῶ κρημασὴν ἀροάνην· ἐπεὶ δὲ γῆ  
Ἴκειθ' ὁ τλήμων, δεινὰ δ' ἦν τὰνθέν δ' ὄραϊν.

Apud Callimæchum hymno in Dianam v. 55.

Ἄι νύμφαι δ' ἔδδειςαν ὅπως ἴδον ἀινὰ πέλωρα,  
- - Καὶ ὀππότε δοῦπον ἀκασαν

ἼΑκμονος

Observavi etiam quandoque duas voces in alias duas esse per errorem distributas. Ita apud Euripidem in Troad. v. 120. hæc leguntur:

Μοῦσα δὲ χ' αὐτῇ τοῖς δυσήνοις,  
Ἄτας κελαιδεῖν ἀχορεύτους.

Hic duæ voces δὲ nimirum & χ' quod tanquam per apostrophum ex καὶ esset ortum, ex duabus aliis vocibus per mendum sunt corruptæ. H. Stephanus quidem videns illud χ' cum apostropho non posse hic locum habere, sequente αὐτῇ, quod tenui spiritu est affectum, legere nos jubet in Notis suis in Euripidem p. 119. Μοῦσα δὲ κ' αὐτῇ. sine aspiratione, mutando illud χ in κ. Locum vero hac ratione nondum apte positum probe animadvertens Stephanus ex infinitivo κελαιδεῖν ponendum putat imperativum κελαιδεῖ. Nec fortasse incommode & indicandi modo κελαιδεῖ legi posse existimat idem. Hac non obstante Stephani animadversione imperitus Editor Genevensis Editionis Euripidis in folio servato illo χ' sequens αὐτῇ aspi-

---

Ἄκμονος ἠχήσαντος, ἐπεὶ μέγα πολὺτ' ἄημα  
Φυσῶν.

Ubi semper τὸ ἔδεισαν ἀπὸ κοινοῦ subintelligendum, ut recte monet Callimachi Scholiastes item apud Arrianum l. 7. de Exped. Alex. M. Ἐπεὶ καὶ τοῖόν δέ τινα λόγον Ἄριστόβουλος ἀναγέγραφεν. Herodian. l. 1. c. 12. p. m. 40. Ἐπεὶ δὲ οἱ ἐν τῇ πόλει μέιναντες, dein ii qui in urbe manserunt. 1. Corinth. 15: 29. Ἐπεὶ τί ποιήσωσιν οἱ βαπτιζόμενοι. Hic H. Grotius notat ἐπεὶ h. l. præterea significare. Frustra itaque esset v. c. J. BARNESIUS, qui in loco isto Euripidis ἐπι reponit, dicitque ἐπι absolute poni, pro ἐπι τούτῳ insuper. J. W. H.

asperavit in αὐτή. Sed in textu Euripidis non opus est ulla mutatione, si illud δὲ χ' recte scribatur, servatis iisdem literis, totus locus erit sanus: Scribendum enim primo est δ' cum apostropho ex conjunctione δὲ factum, deinde ἐχ' itidem cum apostropho pro ἐχε, quod idem est ac παρέχε, da, exhibe. Alloquitur enim Chorus Troadum Musam, propositis verbis Latine conversis: *Ipsa vero tu Musa da nobis miseris deflere, vel, ut defleamus calamitates tristissimas.*

Cum vero & supra significatum sit, quod sero cum accentus libris fuerint appositi, tum oratio distinctionibus intercisa, multi etiam errores & menda exinde sunt exorta: posteriores enim Grammatici προσωδίας illas & distinctiones rite non semper apposuerunt: aut etiam imperiti vel festinantes Librarii multa in his vel mutarunt, vel & omiserunt. Hinc quandoque ex Oratione, adhibita cogitatione ad eas, quibus male intercisa est, distinctiones, nullum convenientem sensum vel Oedipus expromere valeat: si vero illa aliter & rite interpungatur, omnia plana ac nitida videbuntur. Etiam προσωδία si male sint appositæ vocibus & orationi diversum plane, quam vero locus postulat, tribuunt sensum: Si illæ aliter & legitime notentur, nil difficultatis amplius adfuerit. Exemplis aliquot res ista fiet manifestior. Apud Diogenem Laërtium in Vita Diogenis Cynici Segm. 73. l. VI. E. A. p. 348. hæc exstant verba: Μηδ' ἀνόσιον εἶναι τὸ καὶ τῶν ἀνθρωπείων κρείων ἀφασθαι, ὡς δῆλον ἐκ τῶν ἀλλοτριῶν ἐθῶν. καὶ τῶδε ὀρθῶ λόγῳ πάντα ἐν πᾶσιν εἶναι, καὶ διὰ πάντων εἶναι λεγῶν. καὶ γὰρ ἐν τῷ ἀργῷ κρέας εἶναι, καὶ ἐν τῷ λαχάνῳ

χάνω ἄρτον. καὶ ἐπὶ τῶν σωμάτων τῶν λοιπῶν, ἐν  
 πᾶσι διὰ τινῶν ἀδήλων πόρων ὄγκων ἐισκρινομένων καὶ  
 συνατμιζομένων. Sensum loci hujus Interpretes  
 neutiquam affecuti sunt: Sed mirum esse nullum  
 debet: Primo enim verba rite sunt distinguenda,  
 dein etiam, quæ corrupte scripta sunt, corrigen-  
 da. Virgula ergo est ponenda post σωμάτων, post  
 λιπῶν vero eadem est delenda, & λιπῶν est refe-  
 rendum ad sequens ὄγκων: dein κρέως & ἄρτου in  
 gignendi casu est ponendum pro κρέας & ἄρτον,  
 atque loco λοιπῶν scribendum λιπῶν, ut optime  
 quædam antiquæ Editiones habent. Sensusque  
 demum loci verus est iste: Diogenes Cynicus do-  
 cuit, non esse impium vesci humanis carnibus, ut ap-  
 pareret ex ejus dissentaneis & remotis ab aliorum hominum  
 consuetudine moribus, & ex recta ratione patere omnia  
 in omnibus esse, & per omnia vadere, (id est, efflu-  
 via ex quovis corpore in alia quævis abire, & in  
 illa recipi) nam in pane de carne esse effluvia, &  
 in olere de pane. Similiter rem se habere & in corpori-  
 bus humanis, cum tenues & exiguæ moleculæ ab aliis  
 corporibus ablatae in omnia corpora per quosdam insensi-  
 biles meatus & poros se insinuent, & quasi per halitus  
 in ea suscipiantur. Apud Euripidem in Tragœdia  
 in Oreste v. 727. Pylades dicit sequentia:

Θᾶσσον ἢ μὲ ἐχρῆν προβαίνων, ἐκόμην πρὸ ἄερος,  
 Σύλλογον πόλεως ἀκούσας, τόνδ' ἰδὼν αὐτὸς σαφῶς  
 Ἐπὶ σέ, σύγγονόν τε τὴν σὴν, ὡς κτενοῦντας αὐτίκα.  
 Τί τάδε, πῶς ἔχεις;

Hæc quia non rite erant interstinctæ sensum atque  
 vim loci non poterant commode exhibere: quo  
 accesserat aliud adhuc mendum, quod exortum  
 est quia προσωδία non recte in voce ἢ est notata.

Nam

Nam Θᾶσσον ἢ μ' ἐχρῆν , cum tenui nempe spiritu & accentu acuto , sensum exprimit hunc : *citius quam me oportebat* : diversum plane ab eo qui ei loco conveniat : aspero itaque spiritu est insignienda vox ἢ , atque accentu circumflexo & jota subscibendum , ut sit Θᾶσσον ἢ μ' ἐχρῆν : *Ocyus quemadmodum me oportebat*. Locus vero ita distinguendus : post προβαίνων virgula est tollenda , & post ἰκόμην ponenda : deinde post ἄσσεος virgula etiam est tollenda : porro post ἀκούσας est ὑποσηκτέον , & post κτενοῦντας virgula itidem ponenda : & sensus tum totius loci erit iste : *Ocyus ut me oportebat progressus veni , postquam audiui ante oppidum concionem populi futuram : atque adeo eam ipsam videns certo contra te atque sororem tuam esse collectam , tanquam qui vos capitis condemnaturi sint , statim ; Quid ista ? quomodo habes ?* Observandum vero post αὐτίκα , *statim* , abrumpere Pyladen orationem suam propter animi perturbationem & anxietatem Orestis interruptum : hinc abrupto prægressæ nec dum absolutæ orationis filo , interrogat Oresten : *Τί τᾶδε ; πῶς ἔχεις ;* illud vero ἢ in ἦ esse mutandum ex Scholiaste Euripidis quoque divinare possumus : sic enim ille : *Θᾶσσον ἢ ὡς ἐχρῆν με παρεγεγόνην* : hoc enim ὡς ἐχρῆν με est idem quod ἢ μ' ἐχρῆν , illudque ἢ apud Scholiasten quoque in ἦ est mutandum , aut dicendum aliquid in eo deficere , & scribi debere : *Θᾶσσον ἢ μ' ἐχρῆν , ἢ ὡς ἐχρῆν με*. In eadem Tragœdia Oreste v. 720. Orestes queritur :

Οἷμοι προδέδομαι , κούκέρ' εἰσὶν ἐλπίδες ,  
 Ὅπη τραπόμενος , θάνατον Ἀργείων φύγω.

Hæc verba , prout distincta sunt , vim & vehementiam affectus Orestis neutiquam exprimunt :  
 punctum

punctum ergo post ἐλπίδες ponendum : Dein vox ὄπη in ὦ πῆ duabus vocibus est mutanda : Et magna cum vehementia lamentatur hic Orestes : *Hei mihi ! proditus sum, nec spes supersunt amplius. Ah ! quo me vertens mortem ab Argivis effugiam !*

Secundo loco inter causas corruptionum in Græcorum monumentis extantium merito numeramus Græcorum pronunciandi rationem : Notum est Græcos multa similiter pronunciaſſe, quæ tamen varie ſcribebantur, & propterea etiam diverſam poterant habere ſignificationem : Sic Diphthongi  $\bar{e}i$ ,  $\bar{a}i$ , & Vocales  $\bar{\eta}$ ,  $\bar{i}$  &  $\bar{u}$  fere in ſono conveniebant, & ſonus Diphthongi  $\bar{a}i$  non multum ab  $\bar{\epsilon}$  differebat. Ex hac proſecto pronunciationis Græcorum conſideratione multa in Auctoꝝibus Græcis extantia menda detegi poſſunt. Exempla quædam de hac re in medium proferam : Apud Hippocratem in jam citato libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τραυμάτων. Segm. XIX. n. 3. legitur : Τάμνειν χρῆ τὸ μέγεθος τὴν ὠτειλὴν, ὅση ἂν δοκέῃ ἄνω χρῆναι. hoc ὅση cum  $\bar{\eta}$  ſcriptum ex duabus vocibus ὄ σοι corruptum eſſe, quia  $\bar{\eta}$  pronunciabatur ut  $\bar{a}i$  Diphthongus, non eſt dubitandum : & ὄ σοι eſt ſcribendum, referturque ὄ ad præcedens μέγεθος : jubetque hic Hippocrates, ſi quid in vulneribus capitis à Chirurgo ſecandum ſit, *ut ſecetur vulnus tanta magnitudine, quanta videatur ſurſum requiri.* Euripides ſæpius memoratus in Phœniſſis v. 182. ſic habet.

Ὡς ἀτρεμέα κέντρα  
Καὶ σώφρονα πάλους  
Μεταφέρων, ἰθύνει.

Hic in voce ἀτρεμέα  $\bar{\epsilon}$  eſt poſitum pro  $\bar{a}i$  : ſcribendum



dum ergo est ἀτρεμαῖα, ab ἀτρεμαῖος, quod est *quietus, placidus*. Ipsum vero metrum hoc αῖ postulat: versus enim, Ὡς ἀτρεμαῖα κέντρα, est Choriambicus dimeter catalecticus, constans ex Choriambo & Amphibrachi (b). Apud Euripidem porro in Oreste v. 501.

- - Τὸ σῶφρόν τ' ἔλαβεν ἀν τῆς συμφορᾶς.

Scholiasies varie hæc Tyndari verba torquet, ut sensum aliquem eliciat: sed aptus non prius inde habebitur, quam verba rite sint scripta: corruptio hic latens orta est quia ἰ & ῆ in sono conveniebant: hinc duæ istæ voces ἀν τῆς ex unica ἀντὶ præpositione sunt corruptæ: τὸ σ̄ autem accesserat propter sequentem vocem συμφορᾶς. Scribendum itaque:

- - Τὸ σῶφρόν τ' ἔλαβεν ἀντὶ συμφορᾶς.

Et dicit Tyndarus de Matricida Oreste, quod si Matrem in jus vocasset, ipsamque e domo eiecisset, *consecutus fuisset laudem pietatis & modestiæ vel prudentiæ loco calamitatis, cum qua jam conflictaretur.*

Inter

---

(b) Exemplum etiam hujus τοῦ ε̄ in αῖ mutationis existat apud eundem Euripidem Tragedia Phœniss. v. 18. ubi hæc habentur:

Μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων εἶα.

Hic & sequentes versus citantur apud Origenem l. 2. contra Celsum p. 73. Edit. Cantabrig. in Codice vero MSt. Origenis Biblioth. Academ. Basil. satis antiquo, teste Clar. nostro S. BATTIERIO in Var. Lection. quas ex hoc Codice collegit, quasque etiam Rever. V. D. RUAEIO communicavit, pro isto Euripidis σπεῖρε scriptum est σπεῖραι. I. W. H.

Inter causas porro corruptionum in antiquis Græcorum scriptis, jure etiam ponitur, quod antiquitus illud jota, quod subscriptum jam vocatur, & punctulo sub litera notato exprimitur, fuerit literis ipsis adpositum, & figura ipsius jota literæ designatum: hinc indocti Librarii illud non intelligentes, pro alia litera vitiose positum hoc jota existimantes, ejus loco aliam, quæ convenire ipsis videbatur, literam quandoque posuerunt. Ex Diogene Laërtio tale exemplum jam ante aliquot annos produxi. En aliud ex Euripide in Oreste v. 1421. ubi sequentia leguntur:

Καὶ δόκει τοῖς μὲν, ὄν,  
 Τοῖς δ' ἀρκυσατάν  
 Μηχανὰν ἐμπλέκειν  
 Παῖδα Τυνδαρίδ' ὀμητροφόντας δράκων.

Hoc ἀρκυσατάν μηχανὰν ἐμπλέκειν παῖδα τυνδαρίδ' utique non potest probari: verbum enim ἐμπλέκειν cum duplici accusativo construi neutiquam potest: unum quidem postulat, alter vero dandi casus esse debet: sic dicimus ἐμπλέκειν τινὰ μηχανῆν vel δικτύοις, fraude vel retibus aliquem implicare. Ita in Epigrammatum lib. 11. Lucillius de Chæremone:

Εἰ μὴ ἀράχνη  
 Τοὺς πόδας ἐμπλεχθεὶς ὑπτίως ἐκρέματο.

Quod cum ita tenuis fuerit à vento per aërem fuisset abductus, nisi in tela aranei pedibus implicitus, supinus pependisset. Apud Euripidem itaque scribendum ἀρκυσατά μηχανὰ ἐμπλέκειν παῖδα τυνδαρίδ'. mutando nimirum illud ὄν in jota subscriptum.

Imo vicissim quandoque alias literas falso habitas fuisse pro jota subscripto observavi: si inprimis illæ literæ paululum erant deletæ, ut cum jota majorem haberent convenientiam. Ita apud Laërt. l. VII. in Vita Zenon. Segm. 89. Ἐν αὐτῇ τε (subint. ἀρετῇ) εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν, ἅτε οὕση ψυχῇ πεποιημένη πρὸς τὴν ὁμολογίαν παντὸς τοῦ βίου. Interpretes ista sic vertunt: *Et in ipsa (sc. virtute) consistere beatam vitam: utpote quæ sit animæ insita ad consensionem totius vitæ.* Referunt ergo sic illud οὕση ad præcedens ἀρετῇ, & ipsum οὕση positum accipiunt pro ἐνούση, ut possit existimari Dativum sequentis ψυχῇ ab eo regi. Sed inepte omnino. Non dubito quin scribendum sit: ἅτε οὕσης ψυχῆς πεποιημένης πρὸς τὴν ὁμολογίαν παντος τοῦ βίου. Supplendo adhuc ad ὁμολογίαν τοῦ βίου verba quæ requiruntur, τῇ φύσει: sensusque horum verborum est: *Utpote cum anima facta sit ad convenientiam totius vitæ cum natura.* Virtutem enim Stoici positam esse docebant in hoc, ut naturæ convenienter vivatur: istud autem fieri si rectam rationem ubique homo sequatur: Diogenes in Zenone Segm. 87. Πρῶτος ὁ Ζήνων -- τέλος εἶπε τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. *Primus Zeno dixit finem, seu summum bonum hominis esse, convenienter naturæ vivere.*

Porro inter causas exortarum corruptionum in Græcorum antiquorum Scriptis etiam hoc ponimus, quod Docti Viri in Codicibus suis varia sæpe ad marginem posuerint & notarint, quæ vel textum Auctoris explicare & illustrare, vel vocem quandam peregrinam, aut exoletam, aut minus notam interpretari, vel aliud quodcunque eos ad-

monere

monere possent. Post accedentes imperiti Librarii existimantes ad Textum Auctoris ea, quæ in margine erant notata, etiam pertinere, illa inferuerunt quandoque, ubicunque ea in proximo collocari apte posse ipsis visum fuit. Si quis jam Linguæ probe sit peritus, simulque attentionem requisitam adhibeat, facile hujusmodi υποβολιμαῖα detegi, & à genuinis discerni possunt. Exempla quædam proponam: Diogenis Laërt. l. VII. Vit. Zenon. Segm. 31. leguntur hæc verba: "Ενιοι γὰρ καὶ τοῦτον τὸν τρόπον τελευτῆσαι φασὶν αὐτόν. Quin hæc verba ex margine in textum Laërtii venerint, non possit dubium esse ei qui attente Laërtii historiam de morte Zenonis legerit: cumque Laërtius in Epigrammate proxime ante illa verba memorata mentionem faciat, quod etiam fama sit, quod Zeno ex senectute non ultro accersita morte mortuus sit:

Τὸν Κιτιᾶ Ζήνωνα θανεῖν λόγος, ὡς ὑπὸ γήρωσ  
Πολλὰ καμῶν λύθη' - - -

Nec tamen in cætera historię serie mentio ulla fiat, quod & hac morte eum obiisse rumor fuerit: quidam eruditus ad marginem Codicis Laërtiani notavit ad illud Epigramma: "Ενιοι γὰρ καὶ τοῦτον τὸν τρόπον τελευτῆσαι φασὶν αὐτόν. *Quidam enim dicunt eum & hoc modo mortuum esse.* In Euripidis Hecuba v. 911. Chorus Troadum mulierum Urbem Trojam miserantes:

- - - Κατὰ δ' αἰθάλου  
Καπνοῦ κηλὶδ' οἰκτροτάτα κέχρωσαι.

Hoc καπνοῦ utique è textu est eliminandum, & quidem Canterus jam optime observavit ex Scholiasse,

haste, quod illud sit ejiciendum, & è glossis ir-  
repperit. Cum tamen eo remoto locus nondum  
sit omnino sanitati restitutus, eum referre hic non  
dubitavi; jota itaque subscriptum sub *ὀικτροτάτα*  
est removendum, ut sit nominandi casus, & ad  
Trojam referatur: dein cum Scholiaste omnino  
etiam scribendum *αἰθάλω*. *αἰθάλω κηλίδ' ὀικτροτά-  
τα κέχρωσαι*. Trojam itaque vocant illæ mulieres  
miserrimam, *ὀικτροτάταν*, de eaque queruntur,  
*quod fuliginosa macula sit infecta*: id est, igne con-  
sumpta. Et Scholiastes, de isto *αἰθάλου καπνοῦ*  
bene monet: *Ὅου χρὴ γράφειν αἰθάλου καπνοῦ κη-  
λίδι, ἀλλ' αἰθάλω κηλίδι, ἥτοι καυσικῆ κηλίδι,  
ἥγουν πυρὶ, ἢ καπνῷ ἀπὸ μέρους. περισσὸν οὖν τὸ  
καπνῷ, (scribe καπνοῦ) διὸ καὶ ἐξεβλήθη παρ' ἐμοῦ.*  
id est: non oportet scribere *αἰθάλου καπνοῦ κηλίδι*, sed  
*αἰθάλω κηλίδι*, id est *ardenti macula*, vel igne, aut  
*fumo à parte*. *superfluum ergo est καπνοῦ*: itaque &  
*ejectum est à me*.

Multi vero etiam errores orti sunt in Antiquo-  
rum Scriptis quod imprudentes Librarii textum  
non satis intelligentes, data opera quædam in  
textu mutarint, existimantes ea vitiose scripta es-  
se, præcipue si præcedebant vel sequebantur alias  
voces, cum quibus ea consentire debere puta-  
bant: ut e. g. apud Hippocratem in *παραγγελίαις*  
Seg. II. n. 27. hæc leguntur verba: *Ὅουτῳ γὰρ  
δοκέω τὴν ξύμπασαν τέχνην ἀναδειχθῆναι διὰ τὸ ἐξ  
ἐκάστου τοῦ τέλους τηρηθῆναι, καὶ εἰς ταυτὰ ξυναυ-  
λισθῆναι*. Prudenti utique statim apparebit τοῦ τέ-  
λους hic non recte esse positum: & profecto Li-  
brarius erat seductus propter præcedens proximum  
*ἐξ ἐκάστου*, putans itaque ad id pertinere etiam se-  
quens

quens τὸ τέλος, (Hippocratem enim ita scripsisse mihi non est dubium,) illud mutavit in τοῦ τέλους. Reponendum itaque omnino est τὸ τέλος, & dicite Hippocrates: Sic enim existimo totam medendi artem ortam esse, quoniam ex υπομοχοque eventus observatus, & is ad similia collatus fuerat. Ubi & porro hic notandum, quod loco ξυναλισθῆναι scribi debeat ξυναλισθῆναι. Hic error erat ortus, quia Librarius ignorabat hanc vocem ξυναλισθῆναι, cognitam vero habebat ξυναλισθῆναι, utpote magis tritam: hinc ὑψιλὸν ibi excidisse forte existimans, illud si infereret operæ pretium facere se putabat.

Sæpius etiam Librarii pro vocibus minus vulgaribus, alias sibi notas & sono vicinas reposuerunt: multis in locis hoc factum observavi. In Euripidis Oreste v. 1448. leguntur sequentia:

Ἐκλήϊσε δ' ἄλλον ἄλλοσε  
 Στέγης, τοὺς μὲν ἐν σαθμοῖσιν  
 Ἰππικοῖς, τοὺς δ' ἐν ἔδραισι,  
 Τοὺς δ' ἐκείσε κείθεν.

Hæc ἐν ἔδραισιν omnino in mendo hærent: & mendum optime manifestum possit tum esse, si versus, qui hic neutiquam recte sunt dispositi, rite ponantur: debent enim hic duo versus trochaici dimetri brachycatalectici, qui ἰθυφαλλικοὶ alias dicuntur se consequi, post quos trochaicus penthemimeres. Prior vero ex illis duobus Ithyphallicis, in quo ἐν ἔδραισιν est, non est hoc modo integer: existimo itaque pro ἔδραισι scribendum esse ἐξέδραισιν: hoc modo:

Τοὺς δ' ἐν ἐξέδραισι  
 Τοὺς δ' ἐκείσε κείθεν,  
 Ἄλλον ἄλλοσε.

Illud vero ἑδραῖσι, præterquam quod versus id respuat, etiam spurcius est, quam ut ab Euripide in theatrum fuisse productum videatur. Ἐν ἑδραῖσιν enim esset, ut id Scholiastes interpretatur, ἐν οἴκοις ἀποπάτου. Hoc autem cum Librario fuerit notius quam vero ἐξἑδραῖσι, accedente etiam fortasse, quod duabus vocibus ἐξ & ἑδραῖσι, illud legerit, putavit hoc ἐξ huc non pertinere, eiiciendumque esse. Ἐξἑδρα vero est in ædificiis ædes addita porticibus, & Budæus notat, Exedras hodie dici posse loca quæ in peristyliis Sodalium Canonicorum aut monachorum vulgo capitula dicantur. Vitruvius Pollio Architecturæ lib. IV. cap. XI. dicit: *Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spaciosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.* Apud Ciceronem libr. III. de Oratore videtur Exedram accipi pro cella studiis destinata, in qua grabbatulus ad meridiandum accommodatus esse soleat. Pollux l. I. Onomast. c. IV. Exedram tradit esse sessionem ubi viri confideant: ἵνα συγκάθηνται οἱ ἄνδρες. Euripidis Iphigenia in Tauris v. 328. Pastor ille de Oreste & Pylade dicit:

Ἄλλ' ἦν ἄπιστον. μυρίων γὰρ ἐκ χειρῶν  
 Ὅυδεις τὰ τῆς Θεοῦ θύματ' ἐντύχει λαβῶν.

Interpres: *Sed res erat incredibilis; Innumeris enim ex manibus nullus has Deæ victimas tuto capere poterat.* Absurda profecto oratio: imprimis si quis antecedentia & sequentia in Euripide etiam attenderit. Omnino itaque pro illo λαβῶν scribendum est vicinum βελῶν. Narrabat siquidem Iphigeniæ pastor ille, quo modo innumeri alii pastores & rustici

stici saxi & lapidibus illos duos Oresten & Pyladen petiissent : rem vero miram fuisse , quod ex omnibus illis nemo fuerit ita felix , ut illas Dianæ victimas , sic vocat Oresten & Pyladen Dianæ immolandos , potuisset tangere & ferire. (c)

Hoc λαβῶν positum pro βελῶν in Euripide , admonet me loci cujusdam in Evangelio Marci c. X.

B 4

v. 50.

(c) Scholiast. Hom. II. d. v. 105. Ἐσύλα.) ἐγύμνου , ἐξέλαβε τῆς θήκης. pro hoc ἐξέλαβε. Editt. Cantabr. legendum cum Veteribus omnibus ἐξέβαλε putant , ut JOS. BARNES ad l. c. Hom. notat. quibus tamen recte adjicit : His tu ne fidem adhibeas ; ne Veteribus omnibus , ubi erraverint. Hæ tamen voces haud raro invicem mutantur. Plutarch. π. τοῦ ἀκούειν Ed. Ald. p. 36. περιλαβέσθαι τὸ ἱμάτιον poni videtur pro περιβαλέσθαι. Dion. περὶ Ὀμήρου λόγ. Ὅποτε παρ' Ἰνδοῖς ἄδεσθαι φασὶ τὴν Ὀμήρου ποίησιν , μεταλαβόντων αὐτὸν εἰς τὴν σφετέραν διάλεκτόν τε καὶ φωνήν. in quo loco (teste Joh. Barnes. in Edit. Hom.) Morellus edidit μεταβαλόντων αὐτήν. Florentin. μεταλαβόντων αὐτῶν. Ipse J. Barnes legendum putat μεταβαλόντων αὐτῶν. Ita apud Hom. II. κ. v. 328. vulgo scribitur : - - ἐν χειρὶ σκῆπτρον ἔαλε. - - pro quo Josuas Barnes in Edit. sua Cantabrig. 1711. posuit & emendavit : - - σκῆπτρον λάβε , - - & in Notis observat seqq. Principes enim juraturi Sceptrum in manus somserunt , non temere alii cuivis tradiderunt ; præsertim è plebe. Hinc II. ε. v. 234. Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον. Ita Odyss. ε. v. 37. Πρακο Πισenor Sceptrum Principi Telemacho tradit , tum verba facturo. Ita supra. v. 321. Σκῆπτρον ἀνάσχεο. Quin MS. Collegii Corporis Christi Cantabrig. aperte legit , σκῆπτρον λάβε. Verum hæ voces & similes sæpe inter se immutari solent , ut. v. 133. Not. in Schol. Br. hæctenus Jos. Barn. qui ad Sch. Br. II. κ. v. 133. notat συνέλαβεν pro Αἰδι συνέβαλεν , ob illud Etymolog. v. Ἐμπερονήσασθαι. Περωνῶ , ἀντὶ τοῦ , πόρπη , βελόνη. συλλαβεῖν. Editt. Cantabrig. hoc viderunt. Hæc quoque JOS. BARNES.



γ. 50. ubi de Bartimæo cæco illo dicitur, cum Salvator Jesus eum ad se vocasset; ὁ δὲ ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, ἀναστὰς ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν. *Ille autem abjiciens vestimentum suum surgens venit ad Jesum.* Jam prudentibus considerandum propono, an non veri maxime sit simile, quod pro hoc ἀποβαλὼν sit scribendum ἀπολαβὼν, cum recepisset. Cuius enim notum est mendicos in compitis & viis sedentes ad stipem colligendam exteriora sua vestimenta & tunicas deponere, aut etiam iis insidere. Itaque verisimile & Bartimæum idem fecisse: cumque Jesus ipsum vocasset, vestimento suo recepto, non vero abjecto, ad ipsum venisse.

Aliud his affine afferam ex Euripidis Iphigenia in Tauris v. 976. Ubi Orestes narrat:

Ἐντεῦθεν αὐδὴν τρίποδος ἐκ χρυσοῦ λαβὼν,  
Φοῖβος μ' ἐπέμψε δεῦρο, διοπετὲς λαβεῖν  
Ἄγαλμα.

Interpres ita exponit: *Ibi ex aureo tripode vocem emittens Phæbus misit me huc, ut cælo delapsam auferrem statuam.* λαβὼν itaque per emittens explicat. Canterus in Notis suis monet pro eo λαλὼν legendum esse. Sed quis dubitet quin Euripides λακὼν scripserit, voce profecto Tragœdis imprimis usitata, ut & à Comœdis fuerint eapropter irrisi, ut ex Aristophane patet. Et vox λακεῖν de Oraculis & responsis Deorum præcipue erat à priscis adhibita. Aristoph. in Pluto act. I. sc. v. 39.

Τί δῆρ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν σερμμάτων;

Et Hesych. ἔλακεν explicat per ἐφθέρξατο. (d)

---

(d) Huic Conjecturæ assentitur Vir summus Scaliger, teste J. Barnesio ad h. l. Euripidis.

D I X I.